

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XCVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

bilitate voluntatis Diabolicæ, qualis hodie est, depromptam. Quicquid enim inordinatorum actuum est in Diabolo, id secundum Albertum est ex inflictione pœnæ, seu voluntatis eorundem à justitiâ DEI confirmatâ immobilitate, vel verius ex subtracta potentia non-peccandi gratia. Et tamen Diabolus ἀμαρτάνει, peccat. I. Joh. III. 8. ἡνθ' ἠρωποῦνται, est & mendax. Joh. IIX. 44. Atque adeo κατ' ἕξοχὴν πονηρὸς. Matth. V. 37. VI. 13. Quidni igitur idem, non obstante pœnali inflictione, de damnatis in inferno dici possit?

XCV. Septimum argumentum, §. XLVII. propositum àq; variis sive objectionibus sive dubiis vindicatum, alto silentio contemnit Albertus, ratus, eadem distinctione illud in fumum, æremque prorsus dissolvi. At ego ne hariolando quidem assequi valeo, qua specie emplastrum hoc vulneratæ suæ sententiæ velit applicare? Argumentum nostrum hoc est: Quicumque in statu vivunt deteriore, atque infelicio, quam qualis est in præsentî vita, illi non pœnæ tantum, sed culpæ quoque malo obnoxii sunt. Ratio, quia utrumque malum malum est, infelicitas est, miseria est. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἡνθ' ἠρωποῦμαι, clamat Paulus, peccato suo ingemiscens; Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Rom. VII. 24. Ad damnati. Ergo. Expectabimus igitur, donec quis in vices magni Alberti succedat, & qua ratione huic aut simili argumentationi distinctio isthæc medeatur, nobis, tum etiam de responsione cogitaturis, ostendat.

XCVI. Octavum argumentum, in vinculum Logicum, §. XLIX. adstrictum, ex ipso Magistro ita solvit Albertus, ut dicat: Ad aliud dicendum, quod non est locus emendæ, ut dicitur in Literâ: & idem pœna ibi experta non aggravat. Ad quæ allegato loco ex doctrina morali responsum est. Neque dissimilis argumentatio foret, si quis ita colligeret: Titius occultè, dum domi suæ est, cædibus & rapinis dans operam, graviter peccat. Ergo, quando se latronum publico conciliabulo associat, ubi locus non est emendationis & ubi supremi latronum principis imperium ad latrocinandum, deprædandumque necessitatem ei immobilem imponit, non amplius peccat.

XCVII. Nonum argumentum auctoritas vetustissimorum patrum constituit, circa quod Bonaventura nihil aliud monet, nisi quod